Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 741
Quelle:
Copyright:

nas rudi calamo exaratus et miniatus complectitur S. *Augustini Libros XXII. de Civitate Dei*, quorum I. incipit: *Gloriosissimam Civitatem Dei sane* (sive) *in hoc temporum cursu cum inter pios* (impios) *peregrinatur* &c. Vides non polliceri multa Exemplum istuc, et tamen ad L. XI. calcem legis: *Correctus est deo gratias.* Libro XII. praescriptum est: *Incipit secunda Pars* &c. Libri quidam habent Capitulare. Extremo subjectum est: *Martinus Delhorn patricius.* Thecis intus adglutinatae sunt Membranae quaedam Talmudicae.

CCCXLIII.

U. 175 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 107. f. min. per duas columnas scriptus, rubricis distinctus, et, ut praefert, quondam *Collegij ducalis Bienn.* continet amplum et laboriosum *Indicem* Rerum in superiore D. *Augustini* Opere contentarum ordine Alphabeti digestum praevia eo utendi Methodo, quae incipit: *Ut de infra scripta tabula noticiam pleniorem habere valeas* &c.

Fol. 103. sequuntur Initia Capitum omnium XXII. Librorum *de Civitate Dei*, et ad calcem: *Explicit Tabula capitulorum.*

CCCXLIV.

R. 3054 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 75. f. currente calamo scriptus, rubricis enotatus, et olim *Monastery S. Dorothee wienne* Foliis 4. praeviis Excerpta continet e Libris *S. Augustini de Civitate Dei*, tum

Fol. 5. incipiunt S. *Hieronymi Epistolae*, computanturque XXV. sed contrahendus est is numerus. Nam, quae *fol.* 6. altera *adversus Vigilantium* dicitur, est ipsus *Hieronymi* adversus hunc Liber, qui extat Edit. *Vallarsi. Opp.* T. II. *col.* 387. hoc initio: *Multa in orbe monstra generata sunt* &c. Quae *fol.* 9. *ad Oceanum de Vita Clericorum* inscribitur, spuria exulat in *Append.* sive T. XI. Edit. *cit.* ad *col.* 270. Epistola *ad Matrem et Filiam* Praefationem habens Edit. *cit.* T. II. *col.* 776. nobis *fol.* 55. in duas dividitur. Idem accidit Epistolae *ad Pammach. et Ocean.* T. *cit. col.* 518. quae nobis *fol.* 61. ad illa verba: *Ipse Origenes in illa Epistola quam scribit* &c. novam Rubricam praefert: *Jeronimus de penitentia Origenis.* Praeterea Epistola: *Ignota vultu* &c. quae T. *cit. col.* 812. ad *Hedibiam* data est, nobis *fol.* 63. ad *Theodosiam* datur, de quo *Vallarsius* nihil notavit. Ad calcem habetur: *Expliciunt epistole yeronimi per manus Nycolay.*

Fol. 65. succedunt quaedam *Augustinianae*, videlicet *Marcellini* ad illum cum Responso, *Aug. ad Probam et Julianam*, *Paulini* ad illum cum Responso, *Aug. ad Laetum*, *ad Armentarium et Paulinam*, *ad Evodium*, *ad Ecdiciam*, et altera *ad Evodium.* Igitur numero X. quae omnes extant T. II. Edit. *Maur.*